

cōuenirent, nisi flatuosa essent. Propter flatum enim periculum est ne in splene fiat repletio. Venter enim propter flatum nō potest recte concoquere, vnde viæ obstruuntur & implentur, quæ repletio transit ad splenē. Repetendo igitur dico, statim in principio euacuandū esse humorem, nisi impediamur ab istis duobus: tunc enim abstinendum ab euacuationib. tādū, donec adsunt. Quæret aliquis, nunquid si impedita fuerit euacuatio, & in principio & in augmento, remota autē fuerint impedimenta in statu, an tunc debemus euacuare? Resp. Nunquā in statu neq; propter flatum euacuare debemus, etiamsi apparet concoctio: quia hoc tempore est maxima naturæ pugna cū morbo, & vnū ex tribus his sequetur: vel enim natura vincet, & nihil est quod agimus, nec oportet in periculum ponere quod certū est: vel natura à morbo vincitur. Duo sequuntur incōmoda, magis enim aggrauatur natura remediis, cū ante morbo plus satis sit occupata, & facilius opprimitur. Secundò, infamantur etiā remedia, & ars vel pugna anceps est, nec cōstat an vincat natura vel morbus: & tunc quoq; nequaquam euacuare decet, quia cōmittimus rem fortunæ & casui. In declinatione bene poteritis euacuare, & exhibere medicinas, si debilis sit natura, vt non possit expellere inimicū: & tunc est adiuuanda & confortanda primū natura afflicta pugna, & postea ad iuuare eam poteritis euacuādo. Indicationes quæ sumuntur à loco affecto, sumuntur etiam à natura rei: mirabili enim arte hę se inuicē consequuntur, & semper secunda præsupponit primā, & tertia secundam. Ex essentia morbi inuenitur materia, ex motu tempus, à loco affecto modus operandi. Hinc autē à natura rei discimus naturam loci affecti considerantes, & primò eius substantiam: vtrum carnea, neruosa, ossea, membranosa: an rare an laxæ substantiæ vt pulmō, densæ vt renes: vtrum sensibilis, vt musculi, nerui: insensibilis, vt hepar. consideramus & sitū: item operationē, an nobilis, an sit ignobilis, an sit receptaculū excrementorum, vt vesica, an propinquū alicui membro nobili, vel non: an sanguineū vel exanguē, an habeat foramina & vias. Et si habet, vtrum habeat finē vel exitum, & quomodo terminetur meatus, an intrinsecus, an verò extrinsecus. Hęc omnia quærere oportet, quia loci diuersitas intentionē parit diuersam. Nam si substantia loci carnosa est, humidum membrū est: iuuatur à frigidis, læditur à siccis: si sit neruus, os, cartilago: sicca enim sunt & secundū propriam suam naturam curationē expetunt, & multū refert an in secundo vel tertio gradu. A modo substantiæ, an laxum vel densum: in laxo possumus ponere medicamenta crasse substantiæ: facile enim ob naturam membri penetrabunt: si solidum, durum & densum, indigemus substantia tenui & subtilissima: vt sunt pulueres, qui cū adhibentur, subtilissimè & tenuissimè puluerizatos esse oportet. A sensibilitate. Si membrum valde sensibile, cauendum ne mordacitas apponantur, vt neruis, alioqui in spasmodum induceremus ægrū: si os est, non timemus à mordacibus, dummodo vsui sint: ideo in *regiā sin* à terebinthina cauet Galenus in neruis ob morda-

**A** citatem, cū alioqui sit medicamentum conuenientissimum. A situ. hinc etiam modum sumemus, considerando an profundum sit membrum, an superficiale. Si est in superficie, vt imur iis quæ in primo gradu calefaciunt, refrigerant, humectant vel exiccant: si profundius, recurrimus ad secundum vel tertium gradum, ne antequam deueniat ad locum læsum, amittant vires: vnde cū volumus exicare pulmonem, vt imur rebus valde exiccantibus, etiamsi vno gradu indigemus: si verò ventriculus sit exiccandus, præcisam exhibemus mensurā, quia statim illi occurrit. Ideo Gal. *regiā sin* in neruorum vulneribus profundioribus aceto vtitur, quia putat id vim suam amittere, antequam ad locum deueniat: si verò non sunt profunda, & nerui viciniore, ab aceto caueat. Ab operationib. Nobiles operationes nō oportet impedire, si vitium in stomacho: nō licet impedire actionē eius rebus nimium frigidis, etiamsi talibus indigemus: quia eius operatio, quæ corpori vniuerso alimentū præparat, impeditur. Fit enim coctio à calore, ideo non absolutè frigida exhibenda, sed moderatè calida admiscenda. Neque relaxare oportet eum nimis, vt non possit cibum amplecti. ita in aliis mēbris nobiliorib. attendendū. Sed in bubonibus aut adenibus, vel parui momenti membris, nō timemus tantoperè ob membrorum ignobilitatem. Si autem aliquā vitæ necessariam actionem faciat, membrum diligentius attendendum. Et primò repercutiatur materia, vt in Angina, si fiat inflammatio in musculis intrinsecis, ratione cuius non possit aer transire per foramen, statim mederi oportet, quia ne tantillū stare homo sine respiratione posset. A viis etiam insurgit intensio: vt in hepate, si est inflammatio in conuexo, quia hi meatus respiciunt ad intestina: medicinam proponimus, quæ per secessum ducat: si in concauo, quia vias versus renes habet, vrinam prouocantia exhibemus. Ita igitur natura loci affecti consideranda est.

*De paupere pleuritico.*

Febre pestifera, tussi sicca, non potente quicquā eiicere laboranti, ordinata sunt hæc à Mont.

R. Olei sem. lini ʒ. ij

Detur pro lambituo qualibet hora, dilatabit mirū in modū. Itē decoquatur carduus cū aqua calida, & bibat illā quantū potest: pro dolore decoquantur brassicæ plurimæ in aqua ad perfectā consumptionem, deinde pistentur, cui adde pul. sem. cimini q. s. cum butyro, farinis sem. lini, & fenugraci: incorporentur optimè, & fiat emplastrū pro loco affecto. Et quouis manè bibat succum purum Vincæ peruinæ loco syrupi. Est curatus.

CONSILIVM CXXI

*In rauedine & angustia pectoris, hæc ordinavit: Anno 1547.*

**R**ECIPE Foliorum farfaræ,  
Capillorum,  
Scabiosæ,  
Ceterach,

Vio.